

De emendatione Apollonii Dyscoli.

Apollonii Dyscoli libros etiam post Immanuelis Bekkeri praeclaram operam multis modis vitiosos depravatosque esse ut cuius notum est, ita sat graviter monuit Carolus Lehrsius quaest. epic. p. 39. Cui depravationi, cum qui adhuc eam tentabant, coniciendo tantum moderi sibi viderentur, pro explorato habeo, emendationem non bene ac feliciter eventuram esse, nisi denuo codicum propagines indolemque diiudicaveris et ad eorum certam atque constantem rationem libros exegeris.

Usus autem est ille quattuor codicibus Parisiensibus: de quorum praestantissimo tantum, qui unus nobis servavit tres libros de pronomine, de coniunctionibus, de adverbiiis, accuratius dixit ad librum de pron. p. 149: 'Hic codex numeratur inter Parisienses 2548. Membranaceus est, saeculo scriptus XIV, in foliis 194 quadruplicatis, atramento et parum nigro et permultis locis evanido, compendiatas plerumque extremis versibus, accentibus prope nullis, membris orationis et ipsis vocibus raro distinctis.' Libri de constructione implent folia 92, sed desunt et initium usque ad secundam verbi ἀποτελεῖ syllabam 4, 7 et quae leguntur inter 16, 26 μεταγενεστέρων et 66, 20 Τρύφων παρεγένετο. Illae vero lacinae inter has duas lacunas scriptae sunt in foliis septem ab alia manu non

recentiore, quae et indicem capitum addidit.' Relicui libri ita in codice secuntur: f. 93—145 libri de coniunctionibus et de adverbis; f. 146—176 liber de pronomine; f. 177—183 finis libri de adv.; f. 184 initium libri de pron.; f. 185—194 finis eiusdem libri. Iam apparet duas compages quae folium 145 sequi debuerunt bibliopecti negligentia transpositas esse. At folia inter eum locum quo hae compages conglutinari debuerunt et eum quo insertae sunt, 146—176, sunt unum et triginta: sed ut integrae compages sint, necesse est duo et triginta numerentur. Qua vero ratione id explicandum sit: utrum unum exciderit folium, et si excidit, quo loco, an transpositae compages in aliam mediam inreperint: id ei diiudicare licebit, cui ipse codex praesto fuerit. Atque ne relicuorum quidem foliorum ab 8 usque ad 145 perspicere potest, quo modo fuerit compagium.

Hunc autem codicem Bekkerus A notavit. Secundus B est Regius 2547; tertius C Regius 2549, in quo quae ab initio usque ad *κατεπηγγελατο* 3, 10 leguntur cum indice capitum in primo folio a recentiore manu scripta sunt; quartus D Vaticanus 1410 Apollonio subicit Herodianum de numeris. Quibus scripturae editionis principis, quae Venetiis 1495 Aldi Manutii cura in lucem prodiit, M notatae adduntur.

Ad codicum autem cognationem propaginesque explicandas cum duo testimoniorum genera adhibere liceat, nunc altero tantum utimur, quippe quod, nisi lacunae data opera in libro quodam factae, deinde in codices etiam alius stirpis traductae sint, non difficilem poscat aut spinosam disputationem. Qua ratione a reliquis codicibus segregandus et solus in sua familia ponendus est A, qui mira integritate praestat. Nam in BCDM permultae lacunae deprehenduntur: duae maiores 137, 19 *πρὶν ἡμῶν* — 181, 18 *τὰ ἐν* et quae inde ab 332, 12 secuntur; deinde etiam aliae non unum tantum alterumve versum continentes, ut quae sunt 92, 6 *καί* — 18 *Διολεῦσιν*, 197, 6 *τοὺς ἀριθμοὺς* — 14 *ἀλλὰ καί*. Minorum vero plures eo, quod idem verbum brevi spatio interiecto iterum usurpatum

est, ortae sunt; quod patefiet, si verbum quod praecedit lacunam uncis inclusum adscripserimus *):

192, 18 [πρὸς ὧπῳ] καθότι — 19 πρὸς ὧπῳ

191, 12 [τὸ πον] οὐκ — 16 τὸ πον

216, 3 [εἰ] τὸ — 4 γραμματικὸς εἶ.


Has igitur omissiones apertum est non consulto a librario quodam factas esse, sed fortuito natas, cum propter vocem mox redeuntem non nulla librarius male curiosus non videret. Quod genus omnes fere lacunae sunt, quibus C solus foedatus est. Sed cum ea quae in hoc codice omittuntur certum quoddam spatium impleant, quod fere unum editionis Bekkeri versum aequat, vel dupla vel tripla spatia huius mensurae, inde conicere licet illius codicis ex quo C descriptus est unum ipsum versum vel plures extritos esse. Quod non monerem, nisi quis hac ratione facile demonstrare posse sibi videretur codicum illorum qui adhuc in bibliothecis lateant alium esse codicis C principem, alium codicis B, alium librorum DM. Sed ne exemplis egeas, confer sis 221, 14, 26; 228, 18; 326, 11. — 86, 23; 98, 23. — 200, 11.

Haec vero contagio in BDM latius invasit; nam et multas habent omissiones communes, unde eos ex eodem fonte fluxisse patet, et quisque multa non habet, quae alii exhibent. DM vero semper fere inter se consentiunt. Ne multus sim in re aperta, eas tantum lacunas infra adponam, quibus unus versus excidisse videtur. Librarius igitur illius codicis ex quo BDM descripti sunt, versum transiluit hisce locis: 261, 20; 269, 16; 297, 8. In B vero singuli versus extriti sunt, 224, 13; 249, 10; 257, 18; 325, 22, et in DM 239, 25; 268, 26; 305, 9.

Ex his igitur quae de omissionibus disputavimus manifestissimum est, cum in quoque libro lacunis absorpta sint quae in reliquis exstant, non unum ex altero descriptum esse, et codicis archetypi lectionem ad nos propagatam esse per dupli-

*) 108, 2 inde ab particula γὰρ lacunam esse Bekkerus monet; sed eo versu bis illa legitur.

cem stirpem: alteram ad illius integritatem quam proxime accedentem, cuius unus est A; alteram lacunis misere laceratam. Efficitur igitur litteris X et Y pro codicibus ignotis positilis huiuscemodi tabula:



Nunc etiam non nulli codices, qui nondum conlati sunt, certissimo argumento quales sint demonstrari potest. Codices enim Florentinos (23 plut. 60 et 69 plut. 37 n. 10) ad mutilatos pertinere inde patet, quod alter ut CBDM verbis τὸν παραγωγῶσκοντα 332, 11 libris de constructione finem inponit; alter cum secundum librum 23 foliis, tertium 42 foliis contineat, magna ista lacuna secundi libri 137, 19 — 181, 18 foedatus est (cf. Bandinii cat. bibl. Laurent. mscr. Graec). Ex codicibus autem Vindobonensibus qua est eximia facilitate Gustavus Linkerus et omissiones quasdam et scripturae discrepantias mecum communicavit: unde vidi eos B codici valde affines et alterum 138 ex altero 237 descriptum esse. Sed tam infimae notae sunt, ut in animum inducere nequeam eorum vitiis enotandis lectorem enecare.

Neque liber qui subsidio esse A codici possit non deesse videtur. Etenim Friderico Sylburgio, cum librorum de constructione editionem pararet, duobus apographis uti licuit quorum ope illos redintegavit: alterum erat Porti quod et adnotationibus et interpretatione latina ornatum erat, alterum Dudithii Vratislaviensis. Quae cum ipse in praefatione et p. 349 e Michaelis Sophiani libro manuscripto emanasse testetur, integri nobis codicis notitia aperitur. At vero de hoc libro disputatio est satis inpedita et quae per ambages tantum ad verum iudicium ducat: tum quod ne ipsius quidem scripturae adferuntur, sed librorum qui ex eo descripti sunt eorumque

persaepe inter se discrepantium, tum quod etiam de his non semper nobis constat. Nam pro aetatis illius consuetudine Sylburgii diligentia non ea fuit, ut eius silentio fides usquam haberi possit. Quo magis ut certum teneamus cursum, firma testimonia circumspicienda sunt, quibus nitamur et unde via semel munita ad ea quae magis implicata sunt progredi possimus.

Dudithii igitur scripturas vel in ora editionis suae vel in adnotationibus Sylburgius nobiscum communicavit. Quorum indolem ut perspiciamus, omnes ex primo libro conligamus et percenseamus. Etenim per illud spatium quo A desideratur 16, 26—66, 20 quinque locis idem Dudithius exhibet quod B: 19, 22; 20, 6; 24, 14; 26, 21; 40, 25, et uno quod C: 52, 3. In relicua vero parte bis idem atque A legit: 14, 13; 71, 13; item bis quod AB: 73, 17 et 83, 10; item bis quod ABCD: 67, 22 et 86, 19; et ne hic numerus deseratur, duobus locis solus falsis scripturis aspersus est; sed alteram 73, 4 ἐκ τοῦ καταστήματος, cum adscriptum sit 'nam erat nox', apparet coniecturae deberi; et altera 8, 17 pro illis Homericis τετυγμένα δώματα καλὰ exhibens τ. δ. Κίρκης manifesto ex verbo in margine explicationis causa addito procreata est. Uno vero loco 4, 1 gliscens B codicis corruptela reperitur ἀποπληροῦσι pro ἀποτελοῦσι, cum B scribat ἀναπληροῦσι. In magna autem illa secundi libri parte quam soli A codici debemus 137, 19—181, 18 quindecim locis, ubi de Dudithii libro constat, is cum A codice congruit; sed duodecies solus quae amplectendae sunt scripturas praebet: de quibus, ne hariolemur, nunc iudicio desistimus.

Haec ratio eis quae in margine cum γρ nota inveniuntur, prorsus confirmantur; undecunque enim haec sunt, seu ex Porti libro, id quod veri simillimum est, seu ex Dudithii, id unum certissimum est, eorum originem propterea quod γράφεται adpositum est, ex Sophiani codice petendam esse. Ea igitur in libro primo usque ad 16, 26 et inde ab 66, 20 oclies consentiant cum A, ter cum AB, duodecies cum B;

uno loco 15, 3 versus Homericus mutatur et altero 66, 21 mendum est levi errore ortum. In relicua vero huius libri parte septem locis eadem atque B exhibet, uno idem atque C; duobus autem locis emendatio deprehenditur, altero 27, 8 Homeri verbis correctis, altero 58, 25 negatione inserta. Atque quod 19, 26 *προλαμβάνομενον* pro *προλελημματισμένον* scribitur, non est quidem in B, sed eius indoli optime convenit.

Quae omnia si uno conspectu comprehenderis, non dubitabis, quin codex Sophiani non plane simpliciterque ex alio descriptus sit, sed ex duobus coaluerit et quod dicunt contaminatus sit: ex altero qui B codici affinis est et altero qui proximus est A codici. Unde etiam de duodecim illis locis, ubi solus Dudithius veram praebet scripturam, diiudicare licet. Inde enim quod eis locis Sylburgius et A eadem vitia exhibent, etiam Sophianum intellegimus ea legisse: quae Dudithius sagaci coniectura removit.

Quam Sophiani codicis rationem si satis probatam putaveris: codicem enim qui non contaminatus sit non posse modo cum optimis modo cum infimis congruere nemo nescit: iam firmum fundamentum ad ceteros fontes, ex quibus illius libri ad nos cognitio manat, percensendos positum est. Nam quae vel in Porti libro vel in Sylburgii textu vel in eius margine ex codice nostro A aut B simili ducta sunt, eorum omnium rationem non habebimus, quippe quae idem quod iam persuasum habemus confirment. Hoc tantum restat, ut ea quae abhorrere a nostra sententia videntur, diligenter investigemus eorumque auctoritatem perpendamus.

Porti vero libri uberiolem nobis conlationem Sylburgius tradidit: nam et in margine saepius eius scripturas P vel FP litteris adscriptis enotavit et editioni suae illius adnotationes criticas subiecit *). Is autem tantam scripturarum quae illi

*) Hic notanda est negligentia Bekkeri, qui non raro lectionum originem non vidit; ita 277, 1 *ἀποφάσσει* ex margine Sylburgii adfert, sed cum in Porti adnotationis lemmate scriptum sit, ex huius libro pendendum est.

Sophiani codicis rationi plane repugnant multitudinem adfert, ut, si ulla ei fides habenda esset, omnia quae disputavimus debilitarentur et infringerentur: nunc vero iste ingeniosus quidem, sed mendax homo rem ita gessit, ut ipse suae fallaciae atque simulationis testis sit. Nam cum in epistula ad Sebastium se nactum esse gloriatur 'vetustum multo plenius et emendatius exemplar, ex quo integras paginas magnas et Aldinae editioni pares triginta quattuor adiecerit', et hunc librum manuscriptum ad p. 83, 23 et 326, 16 Sylb. testem adhibeat, altero loco pervetustum, altero veterem praedicans: ipse ad p. 141, 32 et 197, 10 Sylb. ingenue fatetur, illum codicem vetustum Michaeli Sophiano in promptu fuisse eumque 'illas partes integras, quae desiderabantur, restituisse.' In quibus cum salis praesidii habere possit, qui Porto fidem derogare velit, tum alia eaque gravia testimonia in illum proferuntur. Nam vide, quo modo hic illic Aldinae scriptura adrepta librum suum manuscriptum mutaverit. P. 108, 18 in Sophiani codice scriptum fuisse *τοῦ ἐσομένου προσώπου* ex A codicis et Dudithii consensu apparet eo potius, quod vitiosa scriptura est verbo *παραλαμβάνομένη* extrito; sed iste in suo libro manuscripto adfirmat illud verbum scribi. Ratio in propatulo est: adscivit enim ex Aldina. Ni mirum certissimum est ea quae A et Dudithius tuentur a Sophiano quoque recepta fuisse. Qua ratione Portum etiam saepe, quae ipse allucinatus erat, corrigendi ardore abreptum in librum suum inculcasse. Quindecim enim locis, ubi sola A codicis auctoritate utimur, perversam scripturam exhibet, illo et Dudithio verae scripturae patrocinantibus. At ne omnem ei detrahamus laudem, lubenter eum, cum magnum videret praesidium ad Apollonii verba resarcienda positum esse in Prisciano, etiam bene de grammatici emendatione meritum esse largimur. Et quoniam ipse in epistula ad Sebastium et saepe in adnotationibus se eius ope niti fatetur, non erit absurdum conicere etiam ea, quae unde sint ex Sylburgio quidem non patet, sed ex Prisciano correctae esse manifestum est, Portum ad huius verba exc-

gisse, velut 4, 16 λέλεγες in marg. Sylb. cum ἴσ, quod in solo Prisciano (XVII p. 1036 P. II 4 Kr.) reperitur.

Itaque si Portus vel codicem antestans vel auctoritatem non indicans interdum exhibet quae non conspirent aut cum A aut cum B, potius eius ratio mulandi quaerenda est, quam levissimi hominis nomine relicuis testimoniis gravissimis obtractare licet. Atque idem cadit in Sylburgii textum et scripturas, quas margini sine ulla nota adfixit. Ille scilicet firmissimum sibi recensendi fundamentum in Porti apographo habere visus est; sed pro aetatis suae ratione saepissime Aldinae vitia revocavit, quibus in ora Porti scripturas adscribere consuevit, nota qua originem cognosceres nulla adpicta. Eas vero Porti esse non modo ratione adlata probabile fit, sed etiam demonstratur non raro illius adnotationibus, quae eadem atque margo tuentur ut: 22, 7; 43, 12; 85, 8. Quamquam Sylburgius etiam suas coniecturas adposuit et Dudithii non numquam scripturis D litteram adfigere oblitus est: velut quod 24, 9 adnotatum est γένους, Dudithii esse manifesto evincitur inde, quod ei convenienter 24, 14 γένος ex illius libro petitur.

Relicuum est, ut de eis disseramus quae in margine notata Sophiani nomen praese ferunt. Quae quidem sat graves rationes suadent, ut non deprompta de codice putemus, sed coniecturas ab eo excogitatas. Nam nisi ita esset, nec Dudithio in cuius apographo ea perscripta erant, eius nomen adiciendi causa fuisset, et plurimis locis quae codicis Sophiani scriptura fuerit, plane intellegimus atque ita coniecturae ratio perspicua fit. Etenim si Sylburgiana et A soli nobis Apollonii verba servant, eorum consensum iam supra monuimus probare in illius codice idem scriptum fuisse. Ita 151, 21 ex συνείλεκτο quod in A et Sylburgiana legitur verum elicit συνείχετο; et sagacissime ex οὐ δέήσειε 133, 28 et ἂν ἀπλοῦν 306, 17 refinxit οὐδὲ ἡ σείο et ἀναπολοῦν.

Iam eo pervenimus, ut codicum illorum ex quibus Sophianus librum suum concinnavit indolem contueri atque per-

censere liceat. Et inferioris quidem notae codicem ad nostrum B proxime accedere iam exposuimus: quamquam eundem fuisse vel alterum ex altero fluxisse quo minus coniciamus plures loci prohibent, ubi vel ille progerminantem B codicis corruptelam prodit, ut 32, 9 *συνεμπτώσει* ACD, *συμπτώσει* mgS, *συμπώσει* B, vel hic illius, ut 48, 10 *περιγραφήσεται* ACD, *παραγραφήσεται* B, *παραστραφήσεται* mgS.

Summa vero melioris codicis, quo Sophianus usus est, et A codicis communio est tam praestantium scripturarum quam levium errorum. Nec mirum: nam eorum, quae Portus praedicat Sophianum e vetere libro hausisse, origo ex ipso A codice petenda est. Quam sententiam ut ratam habeamus, suadet gravissimum testimonium quo in his quaestionibus perscrutandis uti licet. Nam cum in A 16, 26—66, 20 folia non nulla exciderint, eam lacunam etiam in Sophiani codice meliore fuisse ratione scripturarum quas obfert Sylburgius diserte demonstratur. Etenim pleraeque scripturae cum B consentiunt. Aliae pravae licet non reperiantur aut in B aut in M, tamen vel e codice Palatino quem Sylburgius usque ad 53, 11 adhibuit, vel e deteriori Sophiani codice derivatae sunt; velut 45, 26 *συμπιπτουσῶν*, quod in margine Sylburgii pro *συνεμπιπτουσῶν* praebet, optime quadrat in B codicis indolem, qui ea ratione 52, 14 *συμπτώσεως* pro *συνεμπτώσεως* male tuetur. At bonae lectiones vide et quam paucae sint et unde profectae. Omnes enim manifesto lenes simplicesque coniecturae sunt: 22, 7 *ἐξῆς* dirimitur in *ἐξ ἧς* Prisciano adhibito; deinde 58, 25 *ούκ* suppletur; tum 38, 22 et 45, 27 nominum terminationes mutantur, altero loco *πλήθους ὄλου* pro *πλήθους ὄλον*, altero *τῶν συνεμπιπτουσῶν ἐθθειῶν τε καὶ κλητικῶν* pro *κλητικῆς* reficlis; denique 51, 8 *ν ἐν τῷ ταύτόν*, quod sensus flagitat, scripturis B et M librorum adhibitis restituitur. Et earum duas primas tantum constat Sophiani libro deberi; nam *ἐξ ἧς* Portus in 'manusc.' legi testatur, negatio autem in margine cum *γρ* nota adponitur. Reliquae vero cum mar-

gini Sylburgii sine ulla nota adfixae sint, pro explorato non habemus, unde originem traxerint. Itaque per quadraginta paginas praeter Dudithii emendationes quinque tantum bonae scripturae reperiuntur, quae eadem indolem coniecturae produnt. Quae sane meliorem codicem Sophiano etiam ad ea quae leguntur 16, 26—66, 20 emendanda praesto fuisse nequeunt probare: nam alias Sylburgius permulta quibus solus A codex patrocinator praebet, veluti duodecim paginae 4, 7—16, 25 ubi A non deficit decem eius optimas scripturas continent. At si in codice quodam fortuito non nulla exciderint, ea quae hac ratione omissa sunt, manifesto deesse nequeunt nisi in eis libris, qui ex illo ipso descripti sint. Unde cum Sophiani melior codex eadem quae in A foliis non nullis perditis absorpta sunt non habuerit, necessario consequitur illum ex A codice fluxisse.

Ad quam sententiam probandam ea potissimum respicienda sunt, quae Sophianus tota inferioris notae stirpe deficiente ex solo meliore suo codice haurire potuit 137, 19—181, 18 et 332, 12 99. Atque eorum indoles saltem non adversatur. Ea enim tantum abest ut A codicem praestantia superent, ut ubi huius librarius erravit hunc errorem in Sophiani libro latius serpsisse videamus; ut 159, 9 ex *οὐ κενὸν*, quod A vitiose pro *οὐκ ἐνὸν* tenet, ortum est *οὐ καινὸν*. Atque A tredecim locis Sophiani librum lacunarum coarguit; at idem ex huius libro nusquam suppleri potest: nam quod 334, 28 Sylburgius pro *ἐπεὶ* scribit *ἐπεὶ ἐκατὰ συναλοιφὴν ἐπεὶ*, ex adnotatione margini adposita profectum est. At tamen Sophiano qui tam diligenter in Apollonii verbis versatus est, nemo tot lacunas imputabit. Neque ipse imputo. Nam etiam si alia testimonia non essent, eae solae mihi persuaderent illum non ipso A codice, sed eius apographo tantum usum esse. Quod cum mira negligentia paratum esset, fieri non potuit, quin saepius Sophianus qua mira esset divinatione oblitteratam A codicis scripturam proclivi coniectura restitueret. Sic 153, 23 et 342, 2 ubi ex Sylburgii textu eum *λέγων* et

βατόν in libro manuscripto reperisse videmus, coniectura A codicis scripturas *λέων* et *ὑπερβατόν* adsecutus est. Neque quae in Sophiani libro lacuna fuit 92, 6—19 aliunde orta est quam quod ea iam illud apographon inquinatum erat. Atque eiusmodi apographon exstitisse etiam alia res diserte suadet. Nam Fabricius (biblioth. Gr. VI 273 adn. e) nos edocet Nicolaum quoque Sophianum, qui Venetiis commoratus sit, 'exemplar impressum habuisse cui multa folia quae deficerent manu adscripta essent.' Sed quae adiecta fuerint enumerans illa quae 92, 6—19 leguntur non commemorat, ita ut inde conicere liceat etiam Nicolaum Sophianum eodem, quo Michael Sophianus, apographo usum esse.

Itaque codex Sophiani non alia ratione consulendus videtur, nisi ut hic illic Sophiani coniecturas circumspiciamus. Atque nostrae sententiae spero si cui Parisiis denuo rem aggredi licuerit aliquid auctoritatis accessurum. Nam illae Sophiani libri lacunae homoeoteleuto quidem quod vocant ortae sunt, velut 155, 12 [*πολεμιέν*] *κατά* — 13 *πολεμιέν*. At si forte ea verba quae mox repetita librarium deceperunt bis in A libro versus vel initium vel finem tenere apparuerit, etiam inde librarium istum A codice usum esse probabile fiet. Aeque ac si scholia Graeca, quae Sophianus adfert, ut ad 141, 19; 142, 28 etiam in A reperientur: quamquam, si illic non exstent, inde nihil contra nos efficiatur; nam a Sophiano ipso viro grammaticae admodum perito excogitata esse possunt.

Nunc demum quaerere licet, qua ratione codicibus ad Apollonii libros recognoscendos uti debeamus. Atque A codicis potissimum rationem habendam esse, non est cur multis exponam. De cuius cognitione num per Bekkeri conlationem ita iam nobis constet, ut et possit et debeat constare, confidenter discernere non poterit, nisi qui ipsum codicem inspexerit, sed dubitationem quidem aliquam diserta testimonia movent. Nam Bekkerus quamvis ipse hunc codicem prope nullos accentus habere dixerit, tamen ex eo formas excudit to-

nis qui in discrimen vocari possunt notatas, non monens utrum eos e codice an de coniectura posuerit: ut de pron. 105 B *τείν* et 106 B *έίν*. Atque ex eius adnotationibus criticis minime dispici potest, quae ratio intercedat inter recentiorem manum et correctum A. Si enim primae manus opponit 224, 27 'correctum' A, 275, 22 vero 'recentiorem manum': tam multis locis, ubi 'pr A' tantum scripturam diserte commemorat, quid tandem huic oppositum esse putamus? Nam ea quae correcto A debentur, si indolem respicias, prorsus diversa sunt ab eis quae recentior manus exaravit. Neque eum errare contendo, si capitum divisionem et inscriptiones ab Apollonio ipso profectas esse negat ad pron. 109 B: at tamen fidei causa eae enotandae fuerunt. Nunc enim codices in eis non conspirare et ex Porti adnotationibus et ex Aldina intellegimus; at cuius auctoritatem Bekkerus sequatur nescimus. Sic etiam scholia A codicis suspicor non integra a Bekkero exscripta esse. Quod ut putem Fabricii faciunt verba de nostro codice bibl. Gr. VI 272: 'secundum vol. II. cat. codd. MSS. in cod. membr. 2548 de orationis constructione libri IV cum scholiis margini adscriptis.' Quae praedicatio, si ea tantum quae Bekkerus exhibet inessent, ridicula foret. Neque abhorret a nostra dubitatione, quod F. A. Wolfius dicit in praemon. ad librum de pron. p. VII: 'si tamen non omnia minima codicis vitia adscripsit, iure est usus suo', et in codice qui 'etiam veteranos codicum helluones deteruerat' ut ille ait, non nulla vel oculatissimum Bekkerum fugere potuerunt.

Cum vero etiam praestantissimo codici ab aliis inferioris notae aliquid opis expectandum sit, tum A et magnam illam primi libri partem et non numquam pauca verba omittit, ut 9, 28—10, 1; 120, 14. Atque proximum auxilium a C codice petemus, quippe qui inferioris stirpis optimus sit. At ne omnis auctoritas eorum, quae 16, 26—66, 20 leguntur, ab uno C codice suspensa sit, id quod iam plures lacunae (25, 9—10; 53, 25—27 a. l.) dissuadent, etiam tertium B codi-

cem adsciscimus, cui vicissim ex C plures lacunae explendae sunt, velut 22, 9—10; 30, 4—5 a. l.

Sed Bekkerus hac codicis B indole non perspecta errore obstrictus est, ex quo uno permultae viliosae scripturae quas recepit tamquam ex fonte fluxerunt. Quem non verbo dixit, sed re patefecit secundum esse ab A codice librum. At decipit illum species quaedam bonitatis, qua sane non raro B enitescere videtur: sed eam, etsi per se non esset causa, cur fallacem atque simulatam putaremus, tamen lacunarum ratio ambiguam dubiamque redderet. At bonae quas exhibet scripturae non redeunt ad codicem archetypum, sed interpolatorem ipsarum ratio prodit: nam discrepantiae graviores sunt, quam quae ex gliscente mendo nasci potuerint, et quod gravissimum est, eas ad certum quoddam consilium exactas esse apparet. Vide eius scripturas ex duobus tantum paginis conlectas:

B 98, 9	ἀντονομάζονται	AC	ἀντωνόμασται
	23	ἀντονομάζονται	ἀντονομάζεται
	24	τῶν ἄλλων	ἀλλ'
99, 14	ἔξεστι		παρόν
	19	δείξεως	ὄψεως

Atque disertum exemplum quo manus emendatrix coarguatur est 235, 11. Nam cum in A εὐλογον — ἀνελλιπῆ rectissime scriptum sit, id in alterius stirpis archetypo depravatum fuisse in εὐλογον — ἐλλιπῆ ex CDM librorum consensu consequitur; corrector vero iste cum negationem abesse sentiret, ἄλογον — ἐλλιπῆ refinxit. Neque mirum est, quod ille cum non inconsiderate ageret interdum non solum, quid legendum esset, recte dispexit, sed etiam A codicis scripturam in deterioris stirpis principe oblitteratam restituit, velut 241, 23 δοτικὴν ex δοτικῆς, 262, 7 γένοιτο ex γένηται. Sic 218, 14 παρώσειται a libris inferioribus in παράσεται vel παρᾶζεται mulatum est atque inde in B παρεῖται, cui ἡ παρώσειται superscriptum est, extricatum. Quam ob causam cavendum est, ne codicis B scripturis plus tribuamus quam cor-

rectionibus, licet eae bonae videantur. Ita Bekkerus subinde ab interpolatore sibi inponi passus est.

Apollonius enim cum studiosissimus esset brevitatis, perspicuitatis corrector iste cupidissimus, in B non numquam interpolationes insertae sunt, quibus magis perspicua redderetur disputatio. Sic quoniam 234, 23—240, 11 de constructione *χρη* et *δεῖ* verborum disseritur, ubi novum incipit membrum 239, 23, Apollonius non de qua re agatur repetit; B vero v. 25 τὸ *χρη* ἢ *δεῖ* interponit. Qua ratione 47, 27 post *ἀλλ' εἰ καὶ τὸ τοιοῦτόν τις μὴ δοίη*, ut appareat, quid illud τὸ τοιοῦτόν sit, ex antecedentibus suppletur in B τὸ ἐν ἀκολουθίᾳ εἶναι τὰ ἄρθρα. Sic etiam ἡ σοί ἐγκλίνεται 23, 15 delenda sunt, quippe quae sola B codicis auctoritate nitantur.

At non nullas licentiosas interpolationes non B solus, sed BDM communes habent. Quarum origo ne dubia videatur, liceat exemplo uti cuius ratio etiam Bekkerum fugere non potuit. Inde enim a 220, 28 Apollonius docet plura pronomina posse uno pronomine quod plurali numero utatur comprehendere, ut *ἐμὲ καὶ σὲ καὶ τοῦτον* continentur τῷ ἡμᾶς. Exempla ita supposita sunt ut antecedit, quod plura pronomina continet, sequatur, quo pro illis unum tantum pronomen adhibetur. Cum vero 221, 2 in deterioris stirpis principe post primum exemplum excidissent ὃ γενήσεται ἡμᾶς ἐθέσασατο *Τρύφων*, interpolator iste, ut hiantibus exemplis succurreret, post secundum pro *ἡμῖν ἐλάλησε* v. 4 scripsit *ἡμᾶς ἐθέσασατο*, *ἡμῖν ἐλ*. Neque aliorum quae Bekkerus ex BDM recepit diversa origo est. Quae haec sunt: 216, 13 τὸ τοιοῦτόν. 269, 1 *δυνατὸν γὰρ πάλιν οὕτως ἀκούειν*. 217, 21 *κατὰ τὸ πρῶτον καὶ δεύτερον πρόσωπον*, ubi interpolator non vidit τὸ μόριον ad pronomen *σύ* spectare ideoque de secunda tantum persona disputari. At vero uno loco 269, 16 etiam quae BDM soli praebent, non suppositicia sunt; sed ibi patet, quo modo duo se librarii eodem errore inretire potuerint: nam post *συνδέσμων* vocem mox

redeunte *συνδέσμον* voce utriusque oculi aberraverunt, ita ut quae interfuerant et in A et in C omitterentur.

Sed scripturam quam Bekkerus ex solo B et ne eo quidem constantem usum servante restituit consulto hic tangam ambiguum illam et de qua ab harum rerum peritioribus velim iudicari. Ille enim id inter *ἀποφατικός* et *ἀποφαντικός* discrimen exegit, ut illud idem sit ac 'negans', hoc *ἀπὸ τοῦ ἀποφαίνεσθαι* idem atque 'indicans'. Sed utriusque vocis forma in ACD constanter *ἀποφατικός* exhibetur (cf. 244, 27; 245, 1 et 3). At Bekkerus etiam latius progressus est; nam quod illi *ἀποφαντικός* adiectivo convenienter *ἀπόφανσις* substantivum scripsit 277, 1; 279, 18; 285, 3 ne codicis B quidem auctoritate ei niti licuit, sed id e Sylburgii margine deprompsit. Meliorum vero codicum ut vestigia sequamur, id quoque suadet quod *ἀπόφανσις* ex *ἀποφαίνεσθαι* verbo derivatum nomen usitatum est. Quod autem Bekkerus 270, 1 *ἀναγκάζεται* ex B praetulit, cum in ceteris *καταναγκάζεται* scriptum sit, eo magis mirum videtur, quod in nulla re turpius correctoris istius studium apparet, quam in verbis compositis deminuendis, ut 20, 6 *ἀπόδοσιν* pro *ἀνταπόδοσιν* posuit.

Nunc rationes expositurus, quibus e codicibus nostris archetypi scriptura eruatur, eas tantum quae quasi capita sunt attingam neque exemplis inlustrabo, nisi quae a Bekkero derelictae videantur.

Itaque si codices inter se discrepant, firmissimum praesidium in AC codicum consensu paratum est. A quo iam monuimus Bekkerum interpolationibus B codicis nimis indulgentem persaepe descivisse. Illis vero non conspirantibus ex uno A codice salus petenda est. Quem Bekkerus licet eius et bonitatem et integritatem praedicet tamen non eo studio complexus est quo debuit. Itaque 219, 20: *οἷόν τε γὰρ προσφωνεῖν τὰ ὑπακουόμενα κτήματα, ὅπου γε καὶ ἐν εὐθείᾳ πρὸς δεύτερον πρόσωπον λέγεται κατὰ τὰς ἐπαρκτικὰς συντάξεις, ἡμέτερος ὑπάρχεις φίλος*, praepositionem

πρὸς eiectam a Bekkero propter A codicis auctoritatem restituo. Hoc enim docet Apollonius: *adloqui possumus personas quas possidemus, si quidem eae cum verbis substantiam significantibus in nominativo ita ponuntur, ut ad secundam personam referendae sint.* (Cf. de pron. 16 B.) Nam et τὰ ὑπακουόμενα κτήματα supplendum est ad λέγεται verbum et vox φίλος non est secunda persona, sed refertur tantum ad secundam. Atque haec praepositio monet nos de alio loco, ubi similis eius constructio videtur in CB interpolationem excilasse 97, 19: λευκός ἀπολελυμένην ἔχει τὴν ποιότητα, ἐπιτεταμένην δὲ ἐν τῷ λευκότερος· πρὸς ἕτερον γὰρ πρόσωπον ἀνατείνεται, ὃ πάντως ἐπιζητοῦμεν. Ubi γὰρ et ἀνατείνεται A omittit. Quae sive in hoc codice exciderunt, sive in BC inreperunt: non potest non consilium librarii agnosci. Quare A codicis scriptura sequenda est. Quid vero, quod haec contagio in BC libris latius invasit? Nam v. 24 convenienter illi interpolationi pro verbis πρὸς ὃ ἐπετάθη, quae A praebet, scripserunt πρὸς ὃ συνετάθη. Vide igitur utroque loco codicis A scriptura restituta aptam concinnamque sententiam: ἐπιτεταμένην ἐν τῷ λευκότερος πρὸς ἕτερον πρόσωπον, ὃ πάντως ἐπιζητοῦμεν· ὃ λόγῳ καὶ τὸ ἐμὲ ἐπιτεῖναν τὴν δεῖξιν ἀπήτησε πρὸς ὃ ἐπετάθη.

Quoniam autem in his constantem A codicis usum a repugnante deteriorum librorum scriptura vindicavi, ei generi insistam non verens ne pusillam quaestionem praeferam graviori et qua nequeas paucis defungi. Nam in eis quae nunc 102, 15 ita vulgantur: οἶον ἡ μεγάλην ἐποίησε τὸ μεγάλοι, καὶ ἐκ κλίματος τοῦ τοιούτου ἡ μέγας εὐθεῖα διασώζεται, illud ἐκ κλίματος debetur Dudithio. Et ne semel quidem κλίμα me repperisse memini. Quam ob rem nihil interest illam coniecturam quam proxime ad CB codicum scripturam ἐγκλίματος accedere. Sed ut 264, 21 κλήσεως a C et corr. A depravatam est in κλίσεως et a B in ἐγκλίσεως, ita ex ἐγκλίματος eliciendum est ἐκ λήματος. Atque id in ipsius A scriptura delitescit ἐκλήματος, cui iam recentior manus

alterum μ addidit. En tibi exempla, unde eam vocem Apollonio usitatum fuisse dispicias: 273, 24 ἐξ ἀουστάτου λήμματος. 245, 13 ἐπὶ λήμματι τῷ τοιούτῳ. Cui statim aliud exemplum quod ad usum dicendi pertinet subiungam. Apollonius enim cum λείπειν non solum pro *deficere*, sed etiam pro ἑλλιπὲς εἶναι τινος cum dativo coniunctum usurpet, in hac significatione librarii haeserunt, unde ἑλλείπειν perperam inuectum est 5, 23 in CB, 79, 11 in B solum. Sed Bekkerus quam his locis secutus est codicis A auctoritatem detrectavit 116, 27, ubi ea fretus rescribere καὶ λείπειν καὶ πλεονάζειν, quae in CB ita depravata sunt: καὶ πλεονάζειν καὶ ἑλλείπειν. A codicis scripturam Priscianus tuetur (*et deficere et abundare*), atque ordo quem restitui etiam aliis locis confirmatur, ut 117, 16. Quare λείπειν καὶ πλεονάζειν quo minus etiam 37, 22 scribatur, consensus CB codicum, in quibus ibi omnis auctoritas versatur, prohibere non potest. Quo exemplo illud probatur usum Apollonii ex uno A codice definiendum esse et ubi deficit illius libri auctoritas secundum ea quae inde certo constituta sunt regendum.

Quo modo cum Bekkerus A codicis praesidium desereret, fieri non potuit quin etiam alios non caute circumspicientes in errorem induceret. Qualis error cadit vel in Ludovici Langii nitidissimam disputationem de Apollonii disciplina a. 1852 p. 12. Nec enim perfecto δέδεικται quod ille voluit Apollonius ad posterum librum relegavit lectorem, sed eo quod A dedit δεδείξεται futuro.

Neque tamen ea est codicum Apollonii ratio, ut in uno omnem recensionis salutem positam existimem. Immo et Bekkerus sive ex C solo sive ex CB codicum consensu restituit, quod verum est: et ipse aliquoties eorum librorum auctoritatem sequor, ubi eadem sprete est a Bekkero. Scripsit enim 332, 6: ἀναγινώσκω - ἀναγινώσκοντα - παραγινώσκοντα, καὶ ἔτι μετὰ τοῦ ἄρθρου παρὰ τὸν ἀναγινώσκοντα, quae nec sententiae nec codicum rationi conveniunt. Nam cum CB codices plerumque verbum cum dua-

bus praepositionibus compositum deminuant: velut 118, 19 *παράληφθῆναι* pro *συμπαράληφθῆναι*, 306, 18 *προκείμενόν* pro *προϋποκείμενον* exhibentes: ideoque pleniorē formam in eis aut errore ortam aut consulto inculcatam putare absurdum sit, ubi integriorem formam servarunt, ut hic *παραγινώσκοντα* pro *παραγινώσκοντα*, eam retinendam esse censeo: si quidem etiam A codicis librarius numquam errare nequit. Atque hanc formam retineo codice nisi, quam vel in vitis libris refingendam esse puto. Docet enim Apollonius, si ad *ἀναγινώσκειν* verbum nova praepositio accedat, eam vel in *παραθέσει* positi vel in *συνθέσει*: si in *παραθέσει*, articulum sequi, si minus, antecedere debere. Exemplum igitur illud *παραθέσεως* sic rescribendum: - *ἀναγινώσκοντα* - *παρ' ἀναγινώσκοντα* *καί* ἔτι *μετά τοῦ ἄρθρου παρὰ τὸν ἀναγινώσκοντα*, cui respondet exemplum *συνθέσεως* v. 10: *τὸν παραναγινώσκοντα*.

Ex eis quae de CB codicibus exposui illud iam consequens est, ubi A deficiat, eius vicem tantum non omnem sustinere C codicem: ut vel corruptelae eius accuratius quo verum refingas examinandae sint. Sufficit exemplum, proclive illud aequae atque inlustre. C enim ea, quae 37, 18 leguntur, sic exhibet: *εἰ δὲ ἐν τῇ προκειμένη συντάξει εἴποτε ποιητικῆ ἄδεια ἐξαυτουμένη τὸ καὶ πλεονάζειν καὶ ἄλλείπειν παραλίποι τι τῶν τοιούτων κτλ.* In quibus *εἴποτε* et *ἐξαυτουμένη* corrupta sunt; et pro hoc iam in Sylburgiana *ἐξαιτουμένη* repositum est; pro *εἴποτε* vero non dubito quin particula Apollonio frequentissima restituenda sit *μήποτε* fortasse. Atque *λείπειν καὶ πλεονάζειν* ex constanti A codicis usu scribendum esse iam diximus. Itaque rescribe: *εἰ δὲ ἐν τῇ προκειμένη συντάξει μήποτε ποιητικῆ ἄδεια ἐξαιτουμένη τὸ καὶ λείπειν καὶ πλεονάζειν παραλίποι τι τῶν τοιούτων κτλ.* Grammaticus enim lege quadam de articulo exposita si in hac constructione ait poëtarum licentia fortasse sibi ius et deficiendi et abundandi vindicans hanc legem neglexerit, tum rationem et quid desit et quid abundet demonstraturam esse

(cf. 116, 26). At nunc vide, quo modo in B alterum vitium alterius ansam dederit: *εἴποι τις* pro *εἴποτε* excogitatum excitavit *ποιεῖ* pro *τὸ*, in cuius gratiam *παραλίποι* extritum est; ex quibus laciniis hanc monstrosam sententiam consuit Bekkerus: *εἰ δὲ ἐν τῇ προκειμένη συντάξει εἴποι τις ὅτι ποιητικὴ ἄδεια ἐξαιτουμένη ποιεῖ τὸ καὶ πλεονάζειν καὶ ἐλλείπειν καὶ παραλείπειν τι τῶν τοιούτων*.

Sed cum supra D codicis rationem habendam non esse docuerimus, hic locus nos erroris coarguit. Nam dixerit forsitan quispiam *εἴποτε* illud a C codicis librario peccatum esse et in *εἴποι τις* latere veram scripturam. Cui quo minus consentiamus, prohibet D codicis scriptura *εἴπητε*, qua id vitium ex archetypo fluxisse confirmatur. Ita interdum per illud spatium, quo CB solis uti licet, D non nihil auxilii subministrabit alterutri. Atque adeo non nullis locis D solus veram scripturam servavit, ut 137, 15 praebet negationem. Si vero is vel M cum A contra CB codicum consensum congruit, id inde factum est, quod in deterioris stirpis principe pristina scriptura superscripta erat. Sic 237, 10 cum in hoc esset *χρόνοις* supra scripto *καὶ χρόνον*, fieri potuit, ut haec discrepantia nasceretur *καὶ χρόνον* AM. *χρόνοις καὶ χρόνον* D. *χρόνοις* B. *χρόνον* C.

Codex A vero et permulta a recentiore manu adiecta et multa ad oram adscripta habet. Quae ne temere agamus diligenter indagandum est unde profecta atque quanti aestimanda sint. Etenim manui recentiori manifesto liber inferioris stirpis praesto fuit. Atque si illum librum C codici simillimum fuisse conicias propterea, quod non nullis locis cum illo solo conspirat, velut 234, 3; 242, 46, facile me adsentientem habebis: quamquam loci tam pauci sunt, ut inde res ad liquidum perducere nequeat. Sed plurima et omnia quidem ubi universa deterior stirps deficit de suo recentior manus correxit. Quare idem ad eius scripturas valet, quod de CB codicibus et de interpolationibus monui. Multa quidem recte mutavit, verum persaepe scripturis, quae vitiosae quidem ta-

men prope ad genuinas accedunt, adscripsit, quae specie quadam vestigia veri obducunt. Quae Bekkerum non minus quam B codicis interpolationes deceperunt. Sic 269, 21 ἐνεστιν vulgar; sed ex ἐνόν ἐστιν, quod pr A tenet, ἐνόν forma Apollonio usitata revocanda est. In eis autem, quae 7, 21 leguntur, Διονύσιος κινεῖται, εἰ περιπατεῖ coniunctio deest primae manus. Docet vero haec Apollonius: *si dicis εἰ περιπατεῖ Διονύσιος, κινεῖται, sententia recte se habet; at si ordinem immutaveris, perversa erit.* Sequitur illud exemplum, quod minime perversum est. Itaque cum in pr A nulla coniunctio sit, eam non ante περιπατεῖ, sed ubi ratio flagitat, ante Διονύσιος inseres. Cui coniecturae et Planudes Apollonii assecla fidem facit his verbis p. 109, 18: οὐδὲ γὰρ εἰ κινεῖται Πλάτων ἐξ ἀνάγκης καὶ περιπατεῖ, et ipse Apollonius adsentit 245, 14 ὅτι περιπατῶ, κινουμαι· ὅπερ οὐκ ἀληθεύσει, εἰ ἀναστροφὴν λάβοι τὰ τοῦ λόγου, ὅτι κινουμαι, περιπατῶ.

Ita 217, 24 sententia satis implicata exspectat medelam, quae pr A vestigiis probatur. *Pronomen secundae personae*, inquit Apollonius, *fictum est propterea, quod nomina illam significare nequeunt; cum igitur nominum vocativus secundam personam significet, hic casus in σὺ pronomine non desideratur.* Atque de hoc casu secundae personae pergit: οὐδὲ γὰρ ἔχει ἀπολογίαν ἣν περ ἔσχον αἱ κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον, ὡς δυναμένων τῶν ὀνομάτων παραλαμβάνεσθαι περισοῦσαι αὐταὶ ἐγένοντο· ἐφ' ὧν ἦν ὁ λόγος ὡς ἔνεκα τῆς δειξέως ἢ τῆς ἀναφορᾶς παρελημμένοι εἰσίν. In quibus ὡς particula ante δυναμένων CB codicibus et recentiori A manus debetur. Sed quae secuntur δυναμένων - ἐγένοντο neque per se ferri possunt neque ullo modo in relicuam sententiam quadrant. Quam ob rem quod in pr A ὡς deest, interpolationis certo indicio esse puto ideoque omnia illa ὡς δυν. - ἐγένοντο ut subditicia, quae e margine inreperint, reseco: nec aliter expositionis aut veritatem aut perspicuitatem constare arbitror. Quod vitium alio quodam exemplo, quod succur-

rit, hic inlustrare iuvat. Etenim 287 Apollonius dicit post *θέλειν* verbum poni accusativum cum infinitivo; quare si verbum, quod sequatur, genitivum flagitet, accusativum et genitivum adesse debere, velut in *θέλω σε ἀκούειν Διονυσίου*. si vero dativum, accusativum et dativum adesse. At cum de duobus accusativis in hac constructione modo locutus sit 285, 23 sqq., hic paucis tantum verbis utitur v. 13: *ἐνθεν δὴ καὶ δύο αἰτιατικαὶ ἀνακύπτουσιν, ὡς ἔχει τὸ βλάπτω σε - θέλω σε βλάπτειν Διονύσιον κτλ.* Quod vero ad hoc explicandum in margine adpositum erat: *καὶ τὸ ῥῆμα ἐπ' αἰτιατικὴν πάντως φέροιστο*, post *ἀνακύπτουσιν* receptum est et ut ineptiae non nihil detereretur interpolator ille codicis B *εἰ* particulam adfixit.

Ea autem quae margini a prima manu adscripta sunt Bekkerus magis pro lubricitate quam pro certo iudicio modo recepit modo exclusit. At librarius codicis A cum archetypum tam accurate describendum curaret, ut quae iam descripta essent denuo cum illo conferret, fieri non potuit quin multa quae praeterierat nunc in margine adiceret. Sunt vero praecipue vel exempla vel quae propter fallacem proximorum similitudinem facile eum fugere potuerant, ut 108, 28 [*κινεῖται*] τοῦ — *κινεῖται*. Quare fides quae summa in prima A codicis manu est hanc nobis legem imponit, ut quae margini ab illa manu adfixa sint, modo ne scholiorum doctrinam redoleant, in ordinem verborum recipiamus. Nec enim prima manus nos fraude obstringit, ut secunda quae versus commemoratos ex poetis ipsis explevit; velut de coni. 496, 4 his verbis *πρὸς τὸν οὐδὲν εἰς μάχην* ex Eurip. Phoen. 607. Quam ob rem Ferd. Naekius optimo iure Callimacho, amoribus suis, ex margine redintegavit versum, qui legitur de coni. 505, 19 *ἐνεκὸν οὐχ' ἐν ἄεισμα διηνεκέες* (opusc. II p. 34). Et 187, 23, ubi adiectiva communis generis non esse oxytona exponitur, haec apud Bekkerum exempla secuntur, *κακόπαθος, δύστριγος*, ne consensu quidem codicum magni aestimato. Nam in A haec sunt a pr. m. *κακόπατος δύστριγος*

κακόπαθος ultima voce in margine scripta; primam C tuetur, pro qua relicui κακόπαστος; tertiam B a ceteris in κακόπαθος mutata. Repone igitur κακόπιστος δύστριγος κακόπαθος. Sic 10, 9 versus Homeri Apollonio restituendus est ex margine A: ὡς ἐν τῷ οὐ μὲν καλὰ χολήν, quo adiectivum adverbii vice fungi demonstretur. Est autem II. Z 326 οὐ μὲν καλὰ χόλον τόνδ' ἔνθεο θυμῷ. Atque inde quod Priscianus (XVII p. 1041 P. II 11 Kr.) quoque exemplum adicit *sublime volat pro sublimiter*, auctoritatis aliquid margini A codicis accedit.

Eis quae adhuc disputavimus id tantum egimus, ut rationes constitueremus, quibus quid in archetypo scriptum fuisset recognosceretur. Suspicio vero, cum non numquam verba in omnibus libris vitiose dissepta occurrant, etiam archetypum iam vocibus dissectis scriptum ideoque non pervertitum fuisse. Cui sententiae optime convenit, quod vel ipse A a pristina librorum integritate longe recedere videtur. Etenim quarti libri de constructione parvam tantum partem nobis servatam esse sagacissima ratiocinatione probaverunt Otto Schneiderus (Mus. Philol. III p. 446—459) et L. Langius (commentatione supra laudata), cum recte perspicere et ea, quae in libro de adv. inde ab 614, 26 leguntur, illius libri esse *) et totam de coniunctione doctrinam absorptam esse. At vero et ea quae servata sunt tantum abest, ut ab temporum iniquitate intacta sint, ut vel in primis ingeniosus omnia et rimari vitia et remove nequeat. Quod qui diserte declarent idonei testes non desunt. Etenim duo grammatici Priscianus et Maximus Planudes ipsi se

*) Schneiderus quidem mirum est quo per nimium ardorem probandi id quod recte perspexerat abreptus sit. Cum enim foliorum 177—183 duae compages transpositae sint, illam postremam libri de adv. partem contineri foliis 177—182 conicit, et haec esse inserenda ante f. 93, f. vero 183 ante 145: ita ut finis libri de constr. conglutinatoris tantum negligentia transpositus sit. Sed illa libri de adv. pars quattuor modo folia comprehendere videtur; et deinde is, cui Sophiano A codicis apographon praesto fuisse non constaret, quo modo fieri potuisse putavit, ut illius codex et noster A eundem his libris finem inponerent?

Apollonii vestigia ingredi professi sunt et uterque eadem fere ratione in illius doctrina ruminanda versatus est. Ita enim rem gesserunt, ut eius verba modo ipsa retinerent, modo vel contracta vel amplificata aliis verbis refingerent. Si vero in eius verbis substiterunt, summa eis fides tribuenda est. Etenim vel Latine loquentis Prisciani verba A codici aliquid auctoritatis subministrant. Exempla infra posui:

A	CB	Priscianus (XVII p. 1038 P. II 7 Kr.)
7, 9 <i>δασείας</i>	<i>διφθόγγους</i>	aspirationes
10 <i>γμ ἢ κμ ἢ χμ</i>	<i>γμ ἢ χμC</i> <i>χμ ἢ γμB</i>	gm vel cm vel chm
11 <i>ος</i>	om.	rs
12 <i>ἀλλὰ καὶ</i>	<i>ἀλλὰ</i>	idem etiam
9, 2 <i>ἃ καθ' ἑαυτὰ</i>	<i>ἃ καὶ καθ' ἑ.</i>	quae per se
11 <i>τι</i>	om.	aliquid

At non temere omnia quae Priscianus praebet amplectenda sunt; sed ne certa ratio desit, eius usus accurate investigetur oportet. Velut cum 19, 21 ex Prisciani verbo *εἰσκόπεται* (XVII p. 1047 P. II 19 Kr.) *προσεπινοεῖτο* reponimus pro *προσεπινοεῖται*, ipsum A, cuius haec pars desideratur, probabile est consensurum fuisse emendationi. Nam 13, 7, ubi Priscianus idem scribit, ceteris in *προσεπινοεῖται* conspirantibus A imperfectum exhibet. Sed cum Priscianus futurum plerumque praesenti exprimeret, ut pro *καταγενήσονται* 149, 20 dicit *ordinantur* (XVII p. 1083 P. II 62 Kr.), non erat, cur Bekkerus 4, 7 in eius scriptura *perficit* (XVII p. 1036 P. II 4 Kr.) praesidium scripturae *ἀποτελεῖ* mgS pro *ἀποτελέσει* videret. Quin assecla interdum magistri verba parum intellexit: quod possem, si mei instituti esset, exemplis probare.

His vero rationibus rite observatis in Prisciano firmum et saepe ipso A codice integrius praesidium emendationis habemus. Quod Bekkerus perspexit quidem sed non persecutus est. Nam cum pro more suo in excutiendis codicibus subsisteret, enotavit plerumque in adnotationibus criticis Prisciani

verba, quae cum A codicis scripturis congruunt; in vitis libris manuscriptis illius verba ut adhiberentur non curavit. Sed fructum, quem ex illo capimus, insigniore quodam exemplo inlustrare iuvat. Leguntur 7, 12 haec: προθέσεις γοῦν καλοῦμεν καὶ προτακτικὰ ἄρθρα καὶ ὑποτακτικὰ καὶ ἔτι ἐπιρῥήματα, ἃ μᾶλλον κτλ. Priscianus vero XVII p. 1038 P. II 8 Kr. haec verba enumerat, quae certum locum tenere debeant: unde et praepositiones nominantur, et propositiva pronomina, et subiunctiva vel relativa. Nec non verba subiunctiva, quae magis etc. Rescribe igitur καὶ ἔτι ὑποτακτικὰ ῥήματα pro καὶ ἔτι ἐπιρῥήματα. Quae emendatio ipsum sibi Apollonium consentientem reddit. Confer enim 266, 6—10. *) Atque alterum Apollonii sectatorem, Maximum Planudem eadem ratione, qua Prisciano utimur, adhibendum esse iam diximus: qui quidem Bekkero usui esse non potuit, quoniam a Bachmanno demum a. 1828 sub prelum missus est. Quale autem adiumentum A codici adferat, tribus exemplis inlustrabo:

A et Planudes	CB
4, 19 μέχρι 106, 14	μετά
22 πλεονάζειν 106, 25	πλεονάζον
7, 9 δασείας 108, 31	διφθόγγους.

Quorum cum pro se uterque habeat, quo emendatorem Apollonii adiuvet, eo firmius praesidium videtur, cum eorum consensu niti liceat. Illud enim reiectaneum est Graecum Planudem Apollonii sui verba contulisse cum Prisciani Latinis. Sed vide exempla. Adfert Apollonius 11, 14 sententiam, qua omnes orationis partes contineantur, his verbis: ὁ αὐτὸς ἄρθρωπος ὀλισθήσας σήμερον κατέπεσεν. ἔγκειται τὰ μέρη τοῦ λόγου παρὰ τὸν σύνδεσμον. Quod autem Apollonii usui convenit (cf. 320, 19) ἰδοὺ γὰρ ἔγκειται κτλ., pedissequi illi legerunt: Plan. 112, 22 ἰδοὺ γὰρ ἔγκειται. Prisc. XVII p. 1041 P. II 12 Kr. en omnes insunt. Sic p. 19 pluribus mendis medela ex illis redundat. Nam pro eo,

*) Dum plagulas a mendis typhetae purgo, huic emendationi neque Planudae auctoritatem deesse video.

quod v. 13 scribitur τῶν κυρίων ἐμφανιζόντων καὶ τὴν οὐσίαν, Planudes 120, 4 dicit τὴν καθόλου οὐσίαν et Priscianus XVII p. 1047 P. II 19 Kr. *generalem substantiam*. Rescribe igitur καὶ τὴν γενικὴν οὐσίαν, quod iam in mgS coniectura adscriptum est. Atque ratio aliud dissuadet. V. 19 αὐτὸ γὰρ μόνον τὸ τίς ὄνομα τῆς οὐσίας ἐπέζητει apertissimum est labe adfecta esse. Corrigo μόνην τὴν οὐσίαν antestans Plan. 120, 12 αὐτὸ γὰρ καθ' αὐτὸ τὸ τίς ἐρωτηματικὸν ὄνομα — μόνην τὴν οὐσίαν ἐζήτει, et Prisc. l. l. *quis interrogativum nomen substantiam solam quaerebat*; neque ipse Apollonius obest 73, 14 διὰ μὲν τῆς ὀνοματικῆς συντάξεως (τίς) τὴν οὐσίαν ἐπιζητοῦμεν. Ita quod v. 18 iam Bekkerus pro οὐκ ἐμφανῆ ὄντα τὰ Prisciani verbis *incerta erant* permotus reposuit οὐκ ἐμφανῆ ἦν τὰ, huic emendationi Planudae auctoritas accedit 120, 10 sic scribentis: ἄδηλα ἦν.

Neque in ulla re utilius illi auxilium Apollonii emendatori subministrant, quam in lacunis et investigandis et explendis. Si enim copiosiore disputationem exhibentes in eisdem verbis consentiant, non dubium est quin illa ex ipso Apollonio hausta sint. Sed cum uterque saepe magistri verba ut planiora reddat locupletet, nihil inde efficitur, si alter tantum uberius quam ipse Apollonius loquitur. Sic Apollonio sua his locis reddo. Leguntur 19, 5 haec: (disseritur autem de interrogativis vocibus, quae partim nomina sint partim adverbia): ἦν δὲ καὶ ἐν πλείοσιν ὀνομαστικοῖς καὶ ἐν πλείοσιν ἐπιρῶματικοῖς διὰ λόγον τοιοῦτον. ὑπαρξίν τινος ὑποκειμένου ζητοῦντές φραμεν τίς κινεῖται; Foedo illo asyndeto ὑπαρξίν κτλ. assecularum libri non inquinati sunt. Dicit enim Planudes 119, 25: διὰ τόνδε τὸν λόγον, ὅτι ἐν τούτοις μόνοις ἢ ἀμφιβολία δύναται γίνεσθαι τῆς οὐσίας ἢ τῆς ποιότητος. Ποιότητα δὲ λέγω πάντα κοινῶς τὰ τῆ οὐσία συμβεβηκότα, κὰν ποσότητος ᾧσι, κὰν ὀτιοῦν ἕτερον. Τὴν γὰρ οὐσίαν τινὸς τοῦ ὑποκειμένου κτλ. Et Priscianus XVII p. 1046 P. II 18 Kr.: *propter rationem huiuscemodi, quia in his solis dubitatio potest fieri substantiae vel qualitatis vel*

quantitatis. Nam substantiam etc. Excidisse in Apollonio quaedam ante ὑπαρξιν apparet; sed Planudes plura quam Priscianus praebet. Nam substantiae opponit qualitatem tantum, eam vero omnia quae illi accidant, quantitatem, alia id genus comprehendere vult: contra atque Priscianus, qui substantiae contrarias esse docet et qualitatem et quantitatem. Cum vero Apollonius qualitatem tantum semper substantiae opponat, qua de re luculenter disserit inde ab 103, 11, vix dubium videtur quin in Planude integra eius verba exsint. Illi autem gravissimae expositioni 22, 5—14 longum atque difficile est dicere, quae omnia ex asseclarum verbis adicienda sint. At tamen apertissima quaedam commemorabo. Etenim ante ea quae v. 12 leguntur καὶ ἔτι αἱ μετοχαὶ et excidisse quaedam et quae exciderint ex illorum consensu plane perspicitur. Planudes enim 125, 28 haec interponit: καὶ περὶ τοῦ προσλαμβανομένου μόνον, ὡς τῷ ῥήματι τὸ ἐπίρρημα, ἢ ὁ σύνδεσμος τῷ ὀνόματι καὶ τῷ ῥήματι. Quibus conveniunt, quae Priscianus inserit XVII p. 1048 PII 21 Kr.: *et de eo quod adsumitur solum, ut adverbium verbo, et coniunctio verbo et nomini.*

Omnia exempla quae proposuimus ex eis asseclarum partibus deprompsimus, quas integras fere Apollonio subripuerunt. Plerumque vero huius verba vel attenuando vel amplificando ad suorum operum formam refinxerunt, ita ut ex eis non verba quidem, sed ambitum lineasque disputationis adsequi possimus. Quare etiam has eorum disputationes inspexisse emendatorem haud raro non poenitebit. Atque idem in alios permultos grammaticos cadit: quos omnes hic percensere taedet. De Ammonio cf. Naekii op. II 78; de Dionysii Thr. schol. M. Schmidtium in Schneidew. Philol. VIII 238 et 247. Quod autem Bekkerus ad 4, 20 et 92, 23 Theodori Gazae mentionem facit, is grammaticus non ipsius Apollonii, sed Planudae libris usus est. Cuius rei unum de multis delibabo exemplum. Ea quae apud Apoll. 92, 23 leguntur διέπτησαν αἰετοὶ ὃς μὲν ἀπὸ ἀνατολῆς, ὃς δὲ ἀπὸ

δύσεως, Planudes 127, 12 sic reddit *δυεῖν ἀετῶν ὃ μὲν ἀπ' ἀνατολῶν ἔπτῃ, ὃ δ' ἀπὸ δυσμῶν*, quibus consentit Gaza, nisi quod *δυοῖν* et ὃ δὲ ἀπὸ scribit (de prolepsi, p. 156 ed. Basil. 1523).

Sed codices et asseclarum libri quantumvis ad emendationem conferant, tamen permulta vulnera restant, quorum medela plerumque non in divinando potius, quam in ratiocinando severe posita sit oportet. Etenim tot loci adhuc manum emendatricem exspectant, quod nondum quid senserit grammaticus satis exploratum habemus; saepissime illius doctrina effugit investigantem, quod quid scribendum sit ambigitur. Qui igitur Apollonii libros emaculare instituerit, is necesse erit in eius doctrina perscrutanda atque sententiarum ordine exponendo elaboret. Sed denuo aliud quiddam obstat, quo minus Apollonii praecepta penitus dispiciamus. Iam enim Lehrsius monuit quaest. ep.39 indices adhuc desiderari, unde grammaticorum morem dicendi cognosceres. Atque ut index comparetur, vix in ullo grammatico magis curandum, quam in Apollonio. Nam is demum nisi fallor (sin autem errore obstrictus sim, facile me ab illarum rerum peritioribus corrigi patiar) grammaticorum constantem rationem dicendi constituit. Licet enim illi, qui eo fuerunt priores, iam suo loquendi more usi sint, ex eo ipso perspicitur illorum morem fluctuasse neque sibi constituisse, quod persaepe quae vox aptissima sit multis verbis demonstrare studet. Atque iam in eis quae disputavimus consulto plura vitiorum genera exemplis inlustravimus, ut eis adfectum esse grammaticum nostrum sive librorum sive grammaticorum testimoniis probaretur. Quae vero latius serpsere, haec sunt: exempla, quae supposita erant, vel depravata sunt vel absorpta; deinde exciderunt et saepissime singulae voces et haud raro integrae sententiae; denique adnotatiunculae in codicum ora scriptae in ipsius Apollonii verba inreperunt.

Mirum autem quantopere inconcinna exempla obfundunt legentem vel adeo prohibent, quo minus verum dispiciat. Vide exempla. De pron. 16 C haec Apollonius docet: *pronomina*

possessiva si spectant ad secundam personam, non adsciscunt articulum, velut in ἐμός εἶ; si vero spectant ad tertiam, eum adsciscunt, velut in ὁ ἐμός ἐστι φίλος. At de constr. 49, 2 haec leguntur: ὅπου γε καὶ τὸ ἐμός ἐστι, προσλαμβάνον τὸ ἄρθρον κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον, οὐκέτι προσλαμβάνει ἐν τῷ ἐμός εἶ κτλ. Quae reputanti tibi, quam saepe verba non nulla propter similitudinem affinium exciderint, non dubium erit, quin ita restituenda sint: ὅπου γε καὶ τὸ ἐμός, προσλαμβάνον τὸ ἄρθρον κατὰ τὸ τρίτον πρόσωπον ὁ ἐμός ἐστι κτλ. Si igitur sunt, inquit Apollonius, qui συνάρθρους ἀντωνυμίας toto genere ab ἀσυνάρθροις disiungant, ad quod tandem genus isti adscribunt pronomem possessivum? pron. 15 C: τί δ' οὐχὶ μᾶλλον ἐκ τοῦ πρὸς τὸ δεύτερον πρόσωπον, λέγω δὲ τοῦ ἐμός εἶ, ἀσυνάρθροι ῥηθῆσονται, ἤπερ συνάρθροι ἐκ τῶν κατὰ τὸ τρίτον, τοῦ ὁ ἐμός ἐστιν; Nempe inserenda fuerunt συνάρθροι et ante ἐμός ἐστιν articulus ὁ. Sed id sane largiendum est, pronomina οὗτος et ἐκεῖνος nunquam adsciscere articulum indeque nominari posse ἀσυνάρθρα. (de pron. 20 A. de constr. 63, 16.) Ea igitur si ἀσυνάρθρα sunt, quo modo in ὁ φίλος ὁ τούτου et ὁ πατήρ ὁ ἐκείνου secundum ὁ ad illa pronomina referri potest? Quam Apollonii sententiam absurdis duobus mendis aspersam sic Bekkerus exhibet de pron. 19 A (spectant autem haec ad illa exempla, quae commemoravi): πόθεν γὰρ ὅτι ἐπὶ τὸ ἐκείνου καὶ τούτου, εἶγε καὶ συνάρθροι καὶ κατὰ γενικῆς πτώσεως. Loquitur de articulo ὁ ante τούτου et ἐκείνου posito, et haec pronomina sunt ἀσυνάρθρα. Qua re scribe τὸ ὁ pro ὅτι et ἀσυνάρθροι pro συνάρθροι.

Atque saepius cum ab Apollonio consulto vitiosa exempla adferantur, ea animadvertere licet a manu male sedula correctae esse. Sic 216, 22 haec est Apollonii observatio: *si plura nomina ab eodem verbo pendent, ea necesse est in eodem casu posita sint, ut in ἐμοῦ ἀκούει Τρύφων ἢ σοῦ ἢ Θεωνος.* sin autem aliud nomen alio casu utatur, aut vitium inest aut aliud verbum subauditur. Quae vero

exempla supponuntur 217, 2 ἡ ἔμοῦ ἀκούει Τρύφων ἡ σ οῦ ἡ Δίωρος, διὰ τὴν κοινότητα τοῦ ῥήματος, ἐπεὶ οἶόν τε φάναι ἡ ἔμοῦ ἀκούει Τρύφων ἡ σοὶ ὀμιλεῖ, eorum alterum hinc alienum. Nam cum vitiosum exspectetur, sequitur quod et recte se habet et iam supra positum erat. Rescribo igitur ἡ ἔμοῦ ἀκούει Τρύφων ἡ σοὶ ἡ Δίωρι σολοικισμὸν ποιεῖ διὰ τὴν κοινότητα τοῦ ῥήματος κτλ. Quae inserui σολ. ποιεῖ, antecedentibus v. 1 σολοικισμὸν ποιήσει proclive erat excidisse.

Qua ratione ut duobus aliis locis remedium non grave adhibeamus, proficiscimur a pron. 27 C, ubi quid Apollonius senserit dilucide exponitur: ἐντελὲς μὲν γὰρ τὸ ἐγὼ μὲν παρεγενόμην, σὺ δ' οὐ παρέτυχες, ἔλλιπες δὲ τὸ παρεγενόμην μὲν, οὐ παρέτυχες δέ. At de constr. 116, 20, ubi de eadem re disserit, καὶ τούτου inquit ἀπόδειξις φασὶ τὸ μὴ δεόντως ἔχειν τὴν τοιαύτην φράσιν, εἰ μὴ προσλάβοι τις τὰς ἀντωνυμίας, ἐγὼ μὲν γὰρ παρεγενόμην, σὺ δ' οὐ ἀκατάστατα τὰ τοῦ λόγου γενήσεται. Postrema non cohaerent cum antecedentibus nec exemplum, quod adfertur, cum sensu Apollonii convenit. Pone igitur punctum post ἀντωνυμίας et scribe: ἐν τῇ γὰρ παρεγενόμην μὲν, σὺ δ' οὐ ἀκατάστατα τὰ τοῦ λόγου γενήσεται. Nam ἐν τῇ et frequentata Apollonio in exemplis adferendis formula est et facile in ἐγὼ mutari potuit. Atque eandem contagionem suspicor latius serpsisse de pron. 28 C in ἐγὼ μὲν παρεγενόμην, σὺ δὲ οὐ παρέτυχες. Exemplum enim requiritur, in quo pronomina desint, cum v. 6 αἰρομένων γὰρ ἀντωνυμιῶν κτλ. dictum sit. Quare ne ineptire Apollonius videatur, resingendum est ἐν τῇ παρεγενόμην μὲν, οὐ παρέτυχες δέ, convenienter eis, quae dixerat 27 C. In perversa autem illa scriptura studium vitiosa exempla, licet ea cogitate posita sint, mutandi manifestoprehenditur.

Nec minus offensionis paratur inde, quod cur exemplum adferatur non dicitur: velut 9, 21 ὅτε συμπλεκτικῶς μὲν ἀκούεται ὁ ἥτοι ὁ γ' ὡς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἔξετο. ἐν ἴση γὰρ

δυνάμει τοῦ μὲν παρλείηται. Quae vero est illa coniunctio, de qua loquitur? Scribe: ἀκούεται ὁ γὰρ ἐν τῷ ἤτοι κτλ., ut v. 24 ὁ δὲ ἐπενέχθη ἐν τῷ et 267, 25 μείωσιν μὲν ὁ γὰρ ἐν τῷ. Atque in hisce omissae voculae aperta ratio est: quae detectior est in his exemplis: 293, 21 ἡ διάθεσις τῆς ἐπικρατείας, ἣ τις οὐκ ἂν νοοῖτο ἐκ γενικῆς πτώσεως, καθὼς προεῖρηται. Genetivum enim possidendi casum esse et ratio persuadet et ipse Apollonius docet 292, 15: προφανὲς γάρ ἐστιν ὡς χωρὶς γενικῆς κτῆμα οὐκ ἔστιν ἐπινοῆσαι. Cf. 293, 16 et 27. Quibus haec non repugnant: nempe inserenda est ἡ particula ante ἐκ γενικῆς. Sic negatione extrita saepissime nos vexari iam vidit Lehrsius quaest. ep. 40. Cuius rei iuvat praeclarum exemplum proponere e 266, 11 ubi haec leguntur: ὅτι δὲ καὶ ἐπ' ἄλλων μερῶν λόγου μερικῆ διαφωνία αἰτία γίνεται τοῦ εἰς κοινὸν ὄνομα ἀνάγεσθαι τὴν θέσιν, σαφές ἐστι καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν συνδέσμων. Quae Schmidius *) infeliciter temptavit καινὸν scribens pro κοινόν. Etenim dixerat Apollonius modum coniunctivum propter antecedentem coniunctionem modo ἀποτελεστικὸν nominandum esse modo διαστακτικὸν modo αἰτιολογικόν. Qua re ex uno communi accidente, quod nisi coniunctione praemissa usurpari non possit, adpellari ὑποτακτικόν. Secuntur quae supra scripsi. Deinde expletivas quae vocantur coniunctiones ait sua quamque significatione uti nec solas explendae orationi inservire; sed cum his omnibus explendi officium commune sit, inde eas commune nomen τῶν παραπληρωματικῶν accepisse. Quae si reputas ac praecipue confers, quae 268, 3 leguntur, κοινόν mulandum non fuisse perspicuum est. Ὑποτακτικῆς igitur ἐγκλίσεως significationem variam, nomen unum esse probat, quoniam expletivae coniunctiones, quamvis suum quaeque sensum habeat, communi nomine comprehendantur. Quare duabus negationibus insertis refingo: ὅτι δὲ καὶ ἐπ' ἄλλων μερῶν λόγου μερικῆ διαφωνία οὐκ αἰτία γίνεται τοῦ μὴ εἰς κοινὸν ὄνομα ἀνάγεσθαι τὴν θέσιν.

*) Hoef er, Zeitschr. für Wissensch. der Spr. IV, 81.

Quarum altera negatio fortuito extrita, altera deinceps consilio librarii expuncta videtur. De *μερικὴ διαφωνία* cf. 204, 16 et de nomine coniunctionum de coni. 520, 10 sqq.

Alia vox 108, 16 absorpta est. Ibi Apollonius de articuli significatione disserit et denique v. 24 eius duplicem usum esse ait: vel ad personas definitas referri ut pronomen vel ad infinitas ut *τίς*. Quam sententiam uberius v. 14 probat: *καὶ ἡ μὲν τοιαύτη σύνταξις προϋφειστώτων ὀνομάτων, καθ' ὧν ἀναφέρεται τὰ ἄρθρα, ποιεῖται μετὰ ληψιν· ἡ μὲντοι μὴ οὕτως ἔχουσα . . . ἀόριστον μετὰ ληψιν τῶν ἄρθρων ποιεῖται*. In quibus *τῇ ἀορίστῳ μεταλήψει* simplex *μετάληψις* inconcinne opponitur. Apollonius sic scripsit: *ποιεῖται ἀντωνυμικὴν μετὰ ληψιν*, quae et adversa est *τῇ ἀορίστῳ* et ipso hoc nomine laudatur eiusdem paginae v. 1.

Atque has quidem lacunas licet supplere: quae ubi longiores sunt, ibi in eo acquiescendum est, ut indicentur vel etiam sensus scriptoris adumbretur. Cuius generis, quod fere longiorem disputationem requirit, hic uno exemplo defungi placet. Incipit enim de pron. 30 A novam disputationem his verbis: *νῦν δὲ ζητέον ὡς καὶ αὐτὰ τὰ ὀνόματα ἀποθλίβουσιν ἀντ' αὐτῶν παραλαμβάνόμεναι* (sc. αἱ ἀντωνυμίαι). *τάς μὲν οὖν ἄλλας πτώσεις ἐν προσώποις τρίτοις νοεῖσθαι, μόνην δὲ τὴν κλητικὴν ἐν δευτέρῳ κτλ.* Quae neque apte inter se cohaerent neque ullo modo intellegi possunt. Id unum licet confidenter contendere, lacunam esse ante *τάς μὲν οὖν*. In qua lacuna cum deinde de nominibus loquatur atque ad *ἄλλας πτώσεις τῶν ὀνομάτων* genetivus addendus fuerit necesse est de indole nominum, quae definitas personas indicant, monuerit: ad quae, quod v. 8 legitur, *ὡς προεῖρήται* respicit, quod in eis quae hodie leguntur non habet quo referatur. Praeterea accusativus cum infinitivo *τάς μὲν οὖν ἄλλας κτλ.* pendit haud dubie ab eis, quae nunc desideramus: nisi *δεῖ* ab ultima *νοεῖσθαι* verbi syllaba absorptum esse mavis. Nec vereor, ne ab Apollonii sententia desciscas, si ea quae exciderunt cum illis congruisse conieceris, quae de constr. 113, 15—23

τοῦ πρώτου προσώπου leguntur. Cf. Prisc. XII p. 942 P. I 548 Kr.

Supersunt interpolationes. Quibus foedatos esse Apollonii libros cum vel inde coniectando liceat adsequi, quod tantum non omnes libri, qui in disciplina quadam ad certam doctrinam revocanda versantur, hoc vitio adfecti sunt: tum supra e codicum vestigiis probare conati sumus. Nam nihil potius interpolationis indicio esse opinor, quam si coniunctio deficiat, qua addubitata verba in ordinem sententiarum recipiantur. Nunc igitur sufficiat ex eis, ad quas coarguendas e codicibus nihil consequitur, unam indicare atque reseccare. Etenim 119, 21 post τῶν ῥημάτων leguntur haec: ἐνέμειναν δὲ διὰ τὸ ἐπακολουθοῦν αὐταῖς ἰδίωμα καὶ καθὸ πᾶσα ἀντωνυμία ὀρθῆς πτώσεως ἐγκλιτικῆς συντάξεως ἀπαράδεκτός ἐστιν. Apollonius enim cum pronominum personalium nominativum probaturus sit non uti forma enclitica, non aliud argumentum adfert quam quod non utantur ea forma. Ni mirum haec absurda sunt. Quo cum accedat, quod illa ipsa verba partim iam dicta sunt 15, 15, partim 119, 28 dicuntur, ne dubita de interpolatione. Abscisso igitur panno isto iam vide, quam apte omnia convenient: τοῦτο γὰρ μόνον περιτείουσαι παρήξαν μὲν τὴν ἐγκλιτικὴν τάσιν, ἐπεὶ αὕτη ἀνεπληροῦτο πρὸς τῶν ῥημάτων, οὐ μόνον τῆς χρήσεως τὸ τοιοῦτον ἐπιδειξαμένης, ἀλλὰ καὶ τῆς φωνῆς συνεπισχυρούσης. Confer autem de interpolatis vel perperam repetitis Sylburg. ad 307, 16, Bekk. ad 273, 20; 160, 7; de pron. 16 A aliis locis.

Bonnæ.

G. Dronke.